Leopolitae Joannis: In nuptias Generosi d. Joan. Bapt. Ceki et Annae Francko-wic Oratio.

IN NVPTIAS
GENEROSI DOMINI
IOANNIS BAPTISTÆ CEKI &c.
ET PVDICISSIMAE
VIRGINIS ANNÆ, CLARISSIMI VIRI,
DOMINI ANTONI FRANCKOVIC
Leop: inclytæ Vrbis Cracouienſis
Conſulis &c. Filiæ.

Oratio.

M. IOANNIS LEOPOLITÆ C. M.



CRACOVIAE.
In Officina Lazari, Baſili Skalski. Anno Domini,
M. DC. IV.

Prouerb: XIX.

Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens.

ORATIO.

ETSI OMNIA IN HOC AMPLISSIMO orbis theatro ſint fluxa, lubrica, viciſsitudini, mutationiq; obnoxia; ſummis tamen illa laudibus, viri magni, ingenio celebres, eloquentiâ illuſtres, tùm propter illorum auctoritatem, tùm propter pulchritudinẽ, & vtilitatem incredibilem exornarunt: maximè tamen horum, Matrimonij laudes decantarunt: quia hoc & ad Rempub. adminiſtrandam, & ad imperium augendum, & ad benè beatéque viuendum, nihil meliùs, nihil vtiliùs, nihil deniq; ad conſeruationem humani generis, cuius nullus deſiderio non tenetur, conducibilius, eſſe cenſuerunt. Et ſapienter ſanè. Tantum enim ſtudiũ, tantam cupidinem natura, non modò hominibus, ſed etiam brutis animantibus, inſeuit: vt communẽ omnium animantium cuniunctionis appetitum eſſe voluerit, procreandi cauſa; & curã quandam eorũ, quæ ſunt procreata, indidit. Ecquid enim in hac vita fragili, & lubrica, durabile, quid perpetuũ, ſine ſocietate coniugali eſſet? Nihil profectò: cùm omnia orta occidere, & aucta ſeneſcere, ne dicam, didicimus, accepimus, legimus: ſed à natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Quare, cùm nihil nos ab interitu magis liberet, quàm hæres, omniſq; natura vult eſſe conſeruatrix ſui, vt & ſalua ſit, & in genere conſeruetur ſuo: quis ita impudens,

pudens, lingua effrenis, animo audax, qui Matrimoniũ, quod ab ipſo Deo inſtitutum eſt, ore impuro inceſſere, dicteriis proſcindere, cõuiciis lancinare audebit? cùm propter breuitatem vitæ non moriamur mortales, ſed relicta prole magis magiſque effloreſcamus. Vt enim in ſeminibus herbæ, in culmis ſpicæ, vites in radicibus, in vitibus palmites, in palmitibus gemmæ, & in his racemus, flos in racemis, nunquam moritur nec interit: ita humanum genus, in natis natorum, & qui ab illis naſcuntur, immortalitatem, quam in votis omnes habent, conſequitur. Quapropter antequam vtriuſq; ſponſi laudes, quod geſtit animus, referam: in commendationem Matrimonij, primò breuiſsimè excurram; quã non tàm oratione explicare, quàm perſtringere, & tanquã penicillo quodam adumbrare decreui. Etenim, ſi omnia ad amuſsim, & quaſi ad lapidẽ Lydiũ, vt dicitur, explorare vellem, tanta dicendi exuberaret copia, vt nec panegyris modũ, nec finem reperiret oratio: non tàm igitur copia, quàm modus dicendi erit inquirendus. Vos modò magnæ vrbis ciues, & lumina, ſi quid vobis curæ eſt, conatum adiuuate: vt hoc etiam in encomij initio dicere poſsimus, in tales primùm viros ſtatim nos incidiſſe, à quibus aliquis, quamùis ineptus antè ſit, dexter concinnuſq; reddatur: poſsit q; viribus etiam maiora dicendo tractare, ſin minùs ſatisfecero, in magnis voluntatem ſufficere cogitabitis.

Auctores Matrimonij, vt hinc dicendi initium faciam

ciam, inquirere superfluum esse existimo, cùm constet ab ipso Deo immortali ortum illud duxisse, neminemq; credam adeò peregrinum esse in sacris literis, qui ignoret, Deum (vt alia taceam) homine ad imaginem & similitudinem suam in Paradiso creato, Matrimonium instituisse, hocque benedixisse. Quid igitur opus est, in re tàm clara & aperta testimonia eorum, quorum propter antiquitatem recepta est auctoritas, vt fidem mereamur, eruere? cùm ne dicam homines lumine fidei illustrati, sed ipsa etiam superstitiosa gentilitas, vt omnia summa, ita nuptiarum primordia à Diis immortalibus manasse crediderit. Vtiliùs ergò me facturum credo, si Nuptias naturam etiam ipsam expetisse aperuero: quam, quotus quisque est nostrum, qui nesciat semper aliquid concipere, conceptum fouere, fotum stato tempore in lucem proferre? Intueamur primùm arbores, nonné has videmus primùm frondes, mox folia è frondibus protrudere, tandem cernimus è floribus dulcissimos fructus, quos vt maturescant firmat sol, auræ mulcent, imbres educant prouenire? Hinc reflectamus oculos in animalia, res deniq; alias, nonné omnia conseruationem sui per assiduam generationem appetere, & quantum possunt id vnum agere, deprehendimus? Quibus vel ideò natura omnium parens, perpetuam instituit generationem, vt semper cùm stirpium, tùm animalium, omnium deniq;

rerum genera, quæ illa procreat, ſuſtinet, auget, tuetur, & ornat, cenſeruarentur : ne quid omninò huic vniuerſitati deeſſe videatur. Quare quot, & quanta ex connubio commoda profluxerint, me etiam tacente, quiſquis poterit iudicare; quæ nõ ſatis eſt ſciuiſſe, ſed iuuat vſq; in his immorari : per hoc enim ſocietas humana cöaluit, atq; ab agreſti & fera vita, ad humaniorem & cultiorem reducta eſt, homines ex iracundis manſuetos, ex immitibus mites, in omnibuſq; rebus elegantes, & ordinatos reddidit. Neq; tantùm Philoſophorũ placita, nec Poëtarum blandimenta, nec Oratorum voces profeciſſent; quantum natura ipſa, quæ omnia animantia ad hanc ſocietatem ardenti quodam modo excitat, inſtigat, & inflammat : ne ſcilicet genus noſtrum diuturnitate temporis, cùm nihil eſt opere aut manu factum, quod non conficiat aliquando, & conſumat vetuſtas, occidat & aboleatur. Iccircò, etiamſi nulla alia ſocietatis huius (quamùis ſint quàmplurimæ) præter immortalitatem ſit vtilitas, nihil tamen hac meliùs, nihil ad conſeruandum genus humanum conducibiliùs rectè iudicari poteſt. Cùm enim genus humanum ſit mortale, ex Matrimonij ſocietate & coniunctione, propter continuationis ſeriem, per nuptias fit immortale. Suſceptione enim liberorum, genus veluti lumen accenditur; quod & in poſteritate per generationem manet, & nunquam extinguitur, & quaſi vnum in omni ſeculo lucet. Neque aliam ego cauſam fuiſſe reor, cur

tot

tot Reges, & Principes, multique viri clarissimi, charissimas alioqui vxores, sed steriles repudiarunt; nisi quòd nullos aspicere, velut imagines sui, liberos potuissent, nomenque suum extingui & aboleri viderent. Ideò clarissimus ille ciuis Romanus Coruilius, nullam reprehensionem tulit, quamùis vxorem castissimam, sibique benè consentientem dimiserit, quia cupiditatem liberorum coniugali fidei preponi debuisse, rectè sentientes, arbitrati sunt; cuius rei, quæ alia excogitari posit ratio, præter immortalitatem, nescio. Profectò nullum arctiùs in hominibus vinculum, nulla amicitia candidior, omnique officio ac pietate cumulatior Matrimonio inueniri potest.

Et cùm quatuor amicorũ paria, cum plausu & admiratione sæculorũ omnium admiramur; infinitam penè multitudinẽ mulierum honesti coniugij amore flagrãtium, non modò non admirabimur, sed nulla etiam laude afficiemus? Absit. Neq; mirũ Pyladem pro Oreste mortem subire non timuisse; cùm Alcestis coniux Admeti regis Thessaliæ, neutro parente decrepito volente mori pro filio, seipsam morti tradidit. Tiberius Gracchus, bis Consul & censor, idemque augur summus, & vir sapiens, duobus anguibus domi deprehensis, timore & nouitate rei percitus; haruspices conuocat, & quid portendant, sedulò inquirit: cui concordes responderunt: Si vtrunq; interemeris, te & totam familiam interitus manet: si marẽ dimiseris, te euasurũ: sin fœminam

minã Corneliã cõiugem. Æquius vir tantus putauit, se maturũ mortẽ oppetere: quam P. Africani filiam adolescentẽ, quæ tamen paucis post diebus, mœrore cõfecta, maritũ suum est sequuta. Damonis & Pythię amicitiam celebrat Tullius, horum ego tamen præferendam esse amicitiæ Minyarum coniugum amorẽ iudicarem, qui à Lacedęmonijs ob crimen affectati regni, custodiæ mancipati, suplicium iudicio damnati, capitis expectabant; quorum coniuges, muliebris conditionis oblitæ, qua si supremũ viros allocuturæ, simulato dolore, aditu à custodibus implorato velatis capitibus, pectora tundentes pugnis; ora genasq́; fœdantes vnguibus, commutata veste, vt viros morte liberarent, sese morti obiecerũt. Quod etiam Theopompũ fecisse fama est. Quem præterit Patrocli & Achillis amicitia? quorũ hic cùm Patroclum occubuisse accepisset, tantos gemitus, tanta suspiria imo duxit de pectore, vt vix à familiaribus sit prõhibitus, ne sibi manus inferret: horũ tamen amorẽ Planci amor coniugalis superauit, quẽ vnâ cùm vxore, quæ illi repentino morbo perierat, neq; preces amicorum, neq; lacrymæ parentum flectere, potuerunt; corpori cõiunctũ coniugis carissimæ rogo imposuerunt, communeq́; sepulchrũ, vt maritalis diutius seruaretur memoria, amici boni Tarenti constituerunt. Enimuerò cùm aliorsum properat oratio, taceo Marci Catonis filiam, taceo Artemisiam, quarum hæc tanto mariti amore flagrasse dicitur, vt cineres, ossaq; eius mixta odoribus con-

contusaq; in puluerem, aquæ indita, ebiberit, illa cùm Brutum superatum accepisset, prohibentibus ferrum familiaribus, carbones candentes ore hausit, inauditoq; mortis genere, perpetuis seculis amorem coniugalem testata est. Sed ne in recensendis exemplis longior esse videar; nullam amicitiam celebriorem, nullam vtiliorem, nullam deniq; sanctiorē maritali coniugio, hactenus audiuistis. Vnde vt pulchrè, ita verè Proper. cecinit: *Omnis amor magnus, sed aperto coniuge maior.* Transeo alias matrimonij vtilitates, per quod, & temperantiā consequimur: (quæ quamùis in contemnendis prætermittendisq; voluptatibus cernitur: in singulis tamē actionibus elucet,) & fæliciores honoratioresq; reddimur. Atque eò Romani magistratum illis, qui cælibem vitam agerent nullum conferebant, quia liberis tanquam obsidibus, quos patriæ darent, carebant. Spartani porrò lege cauerant, ne illorū vrbem, quisquam cælebs incoleret. Eia age, te apello ô Lycurge, ad eam adductus legem condendam, qua sis ratione? Quia, inquit, qui vita accepta alteri vitam tradere recusat; iniurius est, & naturæ ingratus. iccircò quadruplicē in eos pœnam constituit: Vt nudi hyeme per vicos, per plateas, per forum, circumducerentur: gymnicis ludis, in quibus puellæ decertabant, arcerentur: honoribusq; debitis spoliarentur. quod pulcerrimo exemplo, Lacedæmoniorum iuuenes cuidam Imperatori, virtute licèt eximia, & singulari, rebusq; bellicis claro, fecisse legimus,

mus, cui in theatrum venienti, tantum abeſt locum de more cõcedere; vt etiã ne aſſurgere, quidem voluerint. Quid ita? Quia, inquiunt, nullum, qui nobis natu grandioribus idem faceret, reliquiſti. Præmia prætereo (lõgum enim eſſet ſingula percenſere) quibus illi, qui ſobolẽ reliquiſſent, afficiebantur: omni cura, omnibus laboribus, tributis, vectigalibus, cuſtodijs, oneribusq́; cæteris exoluebantur. Quod igitur ornamentum domus maius mariti & vxoris conſortio dabitis? Nullum ſanè. Neq; enim ædificia pretioſa, neq; ſublimes murj, neq; periſtylia, & ambulacra marmore, & ebore ornata; quæ pleriq; admirantur, nec aliud quippiam, quod vulgus ſtupet, probat, ornamentum eſt domus maius, viri & mulieris ſocietate: in qua ne dicam corpora, ſed omnia ſunt communia; animam etiam, ipſam vbi neceſsitas popoſcerit, habent communem. Incauta ergo vox eſt illorum, qui nullam moleſtiam moleſtiorem, nullam vitam miſerabiliorem, quàm cùm vxore viuere, contendunt: pluſq́; mellis quàm fellis nuptias habere ſtentoria voce clamitant: cùm hoc malũ non tam culpa matrimonij quàm hominum eueniat. Alij enim magnitudine dotis, alij excellentia formæ, alij alijs cauſis capti, nulla virtutis, educationis, morum, quæ magis fœminam ornant auro, habita, in ſuam ſuorumq́; perniciem, nuptias celebrant, coronatiſq́; foribus pro vxore tyrannũ: pro dote, interitũ, ſibi ipſis introducunt. Quæ omnia, cùm tecum ſedulò, & vt aiunt ad trutinam, examina-

minares, Baptista Ceki; huc omnem cogitationem animi appulisti, ne iniurius naturæ, & ingratus videare; cōiugem tibi vitæ sociam, vt felicitatis istius esses particeps, ducendam, nec tàm dotem, quàm pudicitiam, & pudorem, parentum amorem, & concordiam cognatorum proposuisti: atque iam reipsa, id, benignitate Dei consecutus es, quod antè votis omnibus expetiuisti. Accipis vxorē non viduam, cui nihil est irreposcibile: sed virginem, quæ omnem dotem superat. Nam quodcunque in dotem acceperis, potes, cùm libuerit, ne sis beneficio obstrictus, omne vt acceperis retribuere, pecuniam renumerare, domo migrare, prędiis cedere. Sola virginitas, cùm semel accepta est, reddi non potest: sola hæc apud virum ex rebus dotalibus remanet. Virginem verò talem accipis, quæ, vt forma, ita pudore, cū Iulia, Cornelia, Tuscia, virginibusq; Spartanis, quæ mortem priùs oppetere, quàm Messeniis consentire maluerunt, posit decertare. Tanti illæ pudorem coluerunt. Neq; iniuria. Hæc enim pauperem commēdat, diuitē extollit, deformem redimit, exornat pulchram. Et vt è tonitru confestim prodit fulgur: sic à verecundo & pudente proficiscitur gratia. Quod cùm parētes illius, quorum domum ingrederis, sciuissent, pudore & honestate nihil esse commendatiùs, nihil laudabiliùs, hoc dies noctesque egerunt, vt quàm honestissimè domui suæ prospicerent. Tantaq; illis semper fuit, & est honestatis ratio; vt omnes occasiones, quibus pudor &

honeſtas expugnantur præciderent. Vbi enim tympana ſonant, tibia perſonat, lyra garrit, cymbalum concrepat, paraſitus in contumeliis gloriatur; ibi pudor & honeſtas periclitantur. Gratulor ergo tibi, quòd huic domui te coniunxeris, quæ bonitate, probitate, candore, humanitate, nullis cedit: gratulor & ipſi domui, quæ tantum virum ſibi generum adiunxerit. Quod quidem meruit inprimis tua virtus, quam tu omni poſſeſsioni, ipſi etiam vitæ prætuliſti: meruit tua pietas, quam cùm Præfectum fodinarum Vielic. ageres, abundè declaraſti. Meruit & tua liberalitas, quam abundè omnes boni in dies, maximè verò viri literatiſsimi, experiuntur. Meruit & humanitas, quæ tanta in te eſt, vt neque honores, quibus præfuiſti, neque diuitiæ, quibus vndequaque affluebas, te transformarint. Non decet quippè virum, cùm ad ſplendidos fuerit euectus honores, mores commutare: ſed tum maximè conuenit amicis fidelem ſe præbere, cùm iuuare poſsit, rebus iam lætis auctior. Neq; mirum tantis te eſſe præditum virtutibus, cùm ibi natus ſis, vnde vera religio, pietas, honeſtas, atque omnes virtutes promanarunt. Ibique inſtitutus ſis, vnde tanquam ex equo Troiano viri ingenio graues, in rebus gerendis prudentes, in adminiſtranda iuſtitia æqui prodierunt. Quod enim olim Romani Græcis, id nos Italiæ debemus. Nam quicquid vel religionis, vel prudentiæ, in hoc orbe terrarum, ne dicam ſub toto Septemtrione eſt; ex Italia tanquam

Oceano ad nos profluxit. Neque degenerasti equidem à tuis quicquam vel parentibus, vel tuæ gentis celebris moribus, neq; vnquam te degeneraturũ pollicetur Poëta. *Quo semel imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.* Quapropter, natura, virtus, fortuna, acerrimo contentionis studio, in te ornando & cumulando secum decertarunt: & quæ illis summa ac prima fuêre, in te omnia larga manu, & sinu pleno effuderunt. Neque opus est, vt maiorum tuorũ titulos, dignitatem, referã: cùm, vt leo ex vnguibus, ita ex tuis virtutibus, de parentibus tuis, facilè est iudicare. Et puerile etiam puto nobilitatem parentum ornamentis virtutum opponere. Quid enim iuuat ab Agamẽnone genus ducere; Dauo verò & Thersitæ similem esse? Quid iuuat Corneliam matrẽ habere, patrẽ Sempro. seditionibus verò Remp. miscere, aut hostibus patriam prodere? Quid iuuat tabulis maiorum, titulis, laude, intumescere, ne vestigium autem illorum virtutis habere? cùm vera nobilitas sit, nõ tàm generosis & probis nasci parentibus, quàm bonitatẽ, & probitatẽ profiteri? Quare scitè Menander:

Quisquis suapte natura procliuis ad bona fuerit,
Nobilis est: quamuis matre genitus fuerit Æthyope.

Et vt prudenter Annibal, eum tantùm Carthaginensem appellare solebat, qui hostem feriret: ita ego verissimè dixero, eum tantùm nobilem esse, qui & vitia ferire, nullisq; perturbationibus succumbere didicerit.

Quapropter, cùm tot & tantis te ornatum videam virtutibus: magnis te parentibus ortum esse, res ipsa loquitur. Prudentiam tuam, quæ tibi est in rebus gerendis, dexteritatem ingenij, solertiam, acumen, taceo: satis enim hæc abundè tui honores, quibus in hoc regno celebri cum dignitate præfuisti, testantur: testatur & amor Illustrium in te virorum, quorum oculos tua humanitate, industria, candore, in te conuertisti. Viuite ergo felices animæ, Viuite: atque ea felicitate, quæ ex amore coniugali venit, fruimini: sobolemque dignam vestris parentibus, vobis ipsis, vestræ pudicitiæ, virtuti, suscipite; quæ sit & senectutis solatium, vestræque gloriæ triumphus. Neque enim diuitiæ, neq; auri argentique talenta, tanti sunt habenda, quanti boni liberi, virtutisque studiosi parentibus. quibus, vt naues ancoris pluribus in mari; stabiliuntur: sic vita, respublica, inter gentiles & necessarios firmatur. Quare vna Lacæna, cùm ei mulier quædam ornatum Ionicum ostentaret, aliumque mundum muliebrem; ostendit ei vicissim suos liberos, inquiens: At meum ornamentum huiusmodi est. Et Cornelia, cùm illius Campana mulier, ornamenta, & supellectilem videre affectasset; tamdiu eam verbis protraxit, quoad liberi è ludo literario redijssent: Respice, inquit, lautam supellectilem meam, omniaque ornamenta, & delicias meas. Tantæ sunt deliciæ humanæ mentis filij, nec his quicquam in vita iucun-

iucundiùs. Vigeat inter vos pax, floreat concordia: Hac enim res paruæ crescunt, vti discordia maximæ dilabuntur. Perficiat Matrimonij author Deus, vt quã laudem à maioribus, parentibusque vestris accepistis, eandem conseruetis & dilatetis: atque ita vitæ huius, sine vlla offensione cursum transigatis, vt in susceptis liberis niti, & in eorum spe reuiuiscere posſitis.